

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1832

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III. Wien 1795.

2913

L I T U R G I C I

2914

gaudentes. Sunt hae Lectiones Pars Agorum extantium apud Sursum T. I. p. 434.

Fol. 170. p. 2. In Natale Sancti gregorii pape. Lectiones VIII. quae incipiunt: Gregorius genere romanus. arte philosophus &c. Finiunt: crudis leguminibus pascebatur. Excerptae sunt ex Vita Greg. scripta a Johanne Diac. quam habes in Ab. SS. T. II. p. 211. in Mabillonii Ab. SS. O. S. B. Sec. I. p. 496. et Opp. Greg. T. IV. Paris. 1705. f.

Fol. 172. ad marginem: De uno confessore. itidem Lectiones VIII. quarum initium: Ad sancti ac beatissimi istius patris &c. Finis: latronum obsidet multitudo. Sunt de Homilia S. Maximi, quae est LIX. et II. de S. Eusebio Vercell. legunturque etiam hodie in Brev. Rom.

Fol. eod. p. 2. In natali unius confessoris qui non fuit episcopus. Lectiones VIII. Incipiunt: Seruorum igitur quos populo suo proposuit &c. Definunt: uendite que possidetis et date elemosinam. Videtur depromtae ex Homilia quadam in illud Lucae 12. Quis putas est fidelis dispensator &c.

Fol. 173. In Natale Confessorum. rursus Lectiones VIII. hoc initio: Dominicus sermo quem debemus omnes &c. Hoc fine: magistro dominico sterilis permanere. Pars cujusdam Homiliae de Observantia Mandatorum Dei.

Fol. 174. fine ullo Titulo incipit Enarratio in Psal. LXIII. Exaudi Deus orationem meam &c. sed tantum pertingit ad V. ejus

7. Sagittae parvulorum &c. Initium est: A parte humanitatis assumptæ &c. Finis: puris mentibus intrauerunt. Ex quo conficitur, Enarrationem esse Cassiodori, quae legitur Opp. T. II. Ratomagi 1679. p. 208. f.

Fol. 176. habetur Fragmentum fabulosum de D. Thomae Apostoli missione ad Indos, quod incipit: Dum Apostolus Thomas qui et didimus esset apud cesaream &c. Finit: Nullus pauper. nullus aliquid indigens. Depromtum ex Pseudoabdiae Hist. Apostolicae L. IX. Adi 3. A. Fabricii Cod. Apocr. N. T. P. II. p. 687.

Fol. denique 177. recurrunt Lectiones de B. Lucia usque ad initium Quintae, quae jam fol. 7. legebantur.

DCCCVL

Codex membraneus lat. Sec. 376 XI. Folior. 40. f. per duas columnas nitide scriptus et rubricis distinctus Liturgicus est et inscribitur: *Incipit Ordo Catholicorum Librorum Qui in Ecclesia Romana ponuntur. Initium: In uigilia natalis domini leguntur lectiones. III. de isaia propheta &c. Edidit hunc Ordinem Melch. Hittorpius c. aliis Colon. 1568. f. p. 19. Sunt tamen, in quibus differimus, quae indicabo. Sub finem Ordinis in Octavis Domini nobis defunct illa verba: Post octauas uero usque in Theophaniam &c. In Ordine de Purificatione B. Mariae omittitur, quidquid ad Benedictionem Cerei pertinet. Denuncia-*

Cc 3

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1832

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III. Wien 1795.

2915

C O D I C E S

2916

tio mensis primi quarti septimi et decimi praecedit nobis Ordinem in annuntiatione sancte Mariæ. In ordine quarta Feria Quadragesimæ abest a Codice Confessio Poenitentis, et multa alia variant. In Denuntiatione Scrutinii Symbolum graecum latinis nobis literis scribitur: Pisteuuo is ena theon &c. ubi observa sonum τε Ἡτα: gis (γην) genitenta (γεννητρα) alithinon (ἀληθινον) &c. Ordo Diei Palmarum multum in Cod. differt ab Hittorpiano. Benedictiones Olei Ambrosianas omittit Noster. Omittit item tres Orationes ad Crucem et Hymnum Crux Fidelis in Ord. de Feria sexta Parasceues. Item in Ordine in Sabbato Sancto Hymnum Prudentii cum duabus Orationibus praeviis. In universum eorum, quae legenda vel recitanda sunt, plerumque initia tantum ponit, ubi integra exhibet Exemplum Hittorpii, quod etiam T. XIII. Bibl. PP. Lugd. p. 666. reproductum est.

II. fol. 31. Incipit Ordo Ad Sponsas Benedicendas. Ad Missam Antequam Dicatur Pax Domini. Initium: Inprimis cantetur Missa cum introito isto. In uoluntate tua domine uniuersa sunt posita &c. Hodie obtinet: Deus Israel conjungat vos &c. Orationes, Praefatio, Infra Actionem et Benediction super Sponsam petita sunt e Sacramentario Gregoriano in L. A. Muratorii Liturgia Rom. Vet. Venet. 1748. col. 244. f. Epistola depromit e Paulo ad Ephes. Mulieres uiris suis subdite sint &c. Evangelium e Johanne:

Nuptiae factæ sunt in chana &c. Haec hodie diuersa. Inserta est praeterea Benediction Anuli, et in Rubrica monentur Sponsi: ea no[n]e pariter non dormiant sed pro reuerentia ipsius benedictionis in castitate maneant. Adhaerent Oratio pro parturiente duplex et alia in Natali genuino infantis.

III. fol. 33. Oratio ad capillataram incidentam. Sic: Manda deus benedictionem tuam &c. Ad puerulum tonsurandum. Prefatio ad clericum faciendum. Ad barbam tondendam. Omnia, ut Hittorpii suprac. p. 85. Denunciatio primi, quarti, septimi et decimi Mensis, ut jam supra in Ord. Rom. et Hittorp. p. 30 — 31. Ordo brevior eo, qui habetur apud Hittorp. p. 83. Qualiter in Romana ecclesia sacri ordines fiunt. Capitula de Canone Chalced. Sancti Gregorii. Zosimi pape. Leonis pape. Clementis de oblatione altaris. De pallis. De officiis septem Graduum, ubi Noster addit Ysidori. Iterum Ordo qualiter in romana ecclesia sacri ordines fiunt. Abrumpitur in Praefatione Ostiarii. Omnia haec apud Hittorp. a p. 86. et in Bibl. PP. T. cit. a p. 702. sed quemadmodum ibi in Inuitatione Ordinandorum omissus est Acolitus, ita Noster Letorem omittit. Sequitur Ordinacio prespiteri paene, ut Hittorp. cit. p. 93. sed ibi non habetur Missa pro Presbyteris ordinatis nec in ordinatione leuite, nec in anniversario die ordinatorum prespiterorum scilicet uel leuitarum, quarum tertiam solummodo inuenio in Sacramentario Gelasiano L. I.

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1832

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III. Wien 1795.

2917

L I T U R G I C I .

2918

I. Muratorii cit. col. 623. inscriptam in Natale Consecrationis Presbyteri. Oratio Prima incipit: Exaudi domine supplicum preces. et deuoto tibi pectore famulantes &c. Secundae: Ad preces nostras quesumus domine propitiatus intende ut leuite tui &c.

IV. fol. 38. Incipit libellus diversorum ordinum. In primis De consecratione uirginum Initium: Consecratio Sacrae Virginis que in epyphania uel in secunda feria paschæ aut in apostolorum natalicij celebratur &c. Extat apud Hittorp. p. 141. sed ibi pro secunda feria paschæ legitur in Albis paschalibus, et multo plura ponuntur, quam in Cod. qui finit in Orat. Respice propitius domine super hanc famulam &c. Sequitur Ordo Qualiter Abbas Ordinari Debet. Initium: In ordinatione abbatis episcopus debet missam completere &c. Apud Hittorp. p. 139. sed paullum mutata dicensorum serie, neque adhaeret Missa pro abbatte, ut in Cod. cuius Oratio incipit: Concede quesumus domine famulo tuo N. abbati ut predicando &c. Ultimus est Ordo ad monacum faciendum, qui incipit: Conueniente uniuerso coetu monachorum &c. et habetur Hittorp. p. 137. sed in Cod. ad illa verba: mundi blandientis inlebris crucifixus remotus — Orationis: Omnipotens et misericors deus totius &c. abrumpitur. Interim tamen hic locum offert, qui ab exemplo Hittorpii absuit. Post Orationem enim de S. Benedicto interseritur: In ordinatione mona-

chi abbas debet missam cantare et tres orationes completere super caput eius. et septem dies uelet caput sum. et septimo die abbas tollat uelamen. Sicut in baptismo presbiter septimo die uelamen infantum tollit. ita et abbas monacho debet. quia secundus baptismus est. uel iuxta iudicium patrum (quorundam monachorum) ei omnia peccata dimituntur. sicut in baptismo.

In principio Codicis manu Sec. XII. haec leguntur: Nouerint omnes Christi fideles qualiter Godeboldus cum uxore sua Diemota Ecclestiam sancti egidii ad honorem dei edificauerunt. prediisque suis dotatam fratribus gurke sancte marie seruentibus simul cum omnibus inibi adiacentibus prediis decurso huius uite spacio tradiderunt pro se suorumque parentum remedio firmiter et sine contradictione firmauerunt. Huius rei testes sunt Pilgrim de buoch. Megengoz sasan et filius eius Gotebolt. Werener de radewik. Liebart de eadem uilla. Pernhart de sancto uito. et frater suus Karolo. Waltber de glanbeche et filius suus Hartewik. Hartewich de gurch. Leo de uasirch. Magens de Walpotestdorf. Hiltepran de polst. Egnelscaleb de uriesbach. et chouonrat sororis sue filius. Wisent de pinzgov. Sigibot de Wilarent. Otto filius isenrici et frater suus gotepolt. Ernest filius sigewini. Leo de crapbel et filius suus Wolfirigel. goteboldus auctor eiusdem rei de osterwiz. Heinrich de tuchendorf. Vriderich lauer. Perenhar albus de osterwiz. Marchwart de osterwiz. Gumprecht

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1832

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III. Wien 1795.

2919

C O D I C E S

2920

*recht de crappblet. Gotescalch Zul-
le. Reinbal de nuenhalen. Ruodolf
de tuiensperch. Perenbar Plasar.
Vriderich de alsdorf. Hartewich
de mulpach. Gotescalch de arben-
dorf. Hartelieb de osterwiz et fra-
ter Perenhart. Gotefrid de tiwen-
sperch. Dietemar de osterwiz. Lu-
nich de otmagnah et filius suus Pe-
ro et rapot. Werener de tulsnich.
Hadolt de Zemrasdorf. Reinbolt
de wolwiz. Wezel de parenz.
Warmuot de cherein. Eppo deu-
tonicus. Adelgoz de sorich. Wo-
delrich de bodebou. Ruodeger de
nuzperch. Time ministerialis de
salzpurcb. Wodalrich de lungou.
Adalger de sorich. Chuonrat de so-
rich. Reinprebt de bache. Eppo
cliens domini biltebrandi de pols.
Dum Hemma Wilhelmi Land-
gravii Vidua an. 1042. Parthe-
nonem Gurcensem in Carinthia
conderet, Virginibus ad sacra
ministeria additi sunt Clerici vi-
ginti; atque hos in praemissa
Traditione intelligi putem. Suc-
cessu temporis deletis Moniali-
bus, dum an. 1071. Episcopatus
fundaretur, ex his Clericis facti
Canonici. Vide Hansizii Germ.
Sacr. T. II. p. 175. Traditio ita-
que inter annos 1042 — 1071.
facta videtur. Extat etiamnum du-
plex quidem S. Aegidii Fanum
in vicinia Gurensi, quemadmo-
dum et plura e Locis supra nomi-
natis hodie visuntur.*

DCCCVII.

511 Codex membraneus lat. Sec.
XI. Folior. 203. 4. eleganter

*scriptus, minio decorus, et fo-
liis illis, quae Capitum Indices
exhibit, picturatis continet: I.
Iudicium aquæ frigide his prae-
missis: Cum uis hominem in aquam
mittere. ad conprobationem ista de-
bes facere. **Accipe illos homines.**
quos in uoluntate babes mittere in
aquam. et duc eos in eclesiam. et
coram omnibus cantet presbiter mis-
sam. Cum autem ad communicatio-
nem uenerint. antequam communi-
cent interroget eos sacerdos et (ac)
curatione ista dicat. Edidit Ordinem
eiusmodi Bern. Pezius T. II.
Anecd. P. 2. p. 643. e Mf. Wes-
sofont. Missam vero e Cod. Rhe-
naug. produxit etiam Celf. Ger-
bertus P. II. **Vet. Liturg. Alem.**
p. 555. Cum utroque igitur **Codi-
cem** nostrum comparabo. Adjurationem
primam cum rubricis et
Communione habet Pezius, Mis-
sam vero non repetit, quia illa
jam in **Ordine ad Caldarium et**
Ferrum praecessit. Nobis ea in-
scripta est: **Hec est celebracio**
misse ad iudicium seu aquæ siue
ferri, et consentit cum Cod. Pe-
ziano et Gerbert. Orationem ta-
men secundam ad Complend. quae
infit: **Ostende nobis misericordiam**
tuam &c. Pezianus ignorat. Mis-
sam excipit **Benedictio Aquae**, ad
quam de **Psalmis**, quos praescri-
bit Pezianus, tacetur; contra
vero in **Litanis Nostre** jubet ad-
di ter: **Pro buius negotii qualita-**
te te rogamus, audi nos. Ut iusti-
cie non dominetur iniquitas. sed
subdatur falsitas ueritati. te rog-
audi nos. Exorcismus Aquae utro-
bique idem. Eum tamen in Nostro
Ora-*